

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Sleker Andreas Hojer

## **De Loco Disputationem**

Rostochii: Myliandrus, 1611

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729127486>

Druck Freier  Zugang



F. Steller.  
R.U. phil. 1611.



D. T. O. M. A.

91

# DE LOCO

## Disputationem

*In Inclyta Academia Rostochiensi,*

P R A E S I D E

M. IOHANNE SLEKERO

Phys. P. P.

*Publicè examinandam*

*Proponit*

ANDREAS HOJERUS

Ustdomens. Pom.

*Habebitur Disputatio in Auditorio majori  
die 27. Februarij hora 6. matutina.*



ROSTOCHII

Typis Stephani Myliandri

ANNO M. DC. XL.

REVERENDO, CLARISSIMO  
ac præstantissimo Viro,

Dn. LUGAE BACMEISTERO,  
S. S. Theologiae Doctori & Professori publ. in illustri  
Academiâ Megapolitanâ, circuliq; Rostochiensis Superin-  
tendenti generali vigilantisimo, Præceptorî & pro-  
motori - ut - patri obseruantissimè & omni  
studio reverentia honorando:

NEC NON

Humanissimis, doctissimis & eximiè ornatis  
viris juvenibus,

Dn. JOHANNI CORVINO,  
S. S. Theologiae Candidato meritissimo  
& commendatissimo:

TVM ETI AM

Dn. JOHANNI HALLERVORDIO,  
Philosophiae Aristotelicæ Candidato honora-  
tissimo, & Bibliopolæ maximè  
industrio:

Dnn. Fautoribus atq; amicis certissimis  
perpetuò & meritò colendū

Dico

Andreas Hojerus.



THE SIS I.



Mnis qua ratione & discursu (id Arisenuris Arist. 1. Post.) suscipitur cogitatio, certis principijs, veritatis & auctoritatis calculo probatis confidit: & nos Locum disputaturi, Aristoteles innitimus fundamentis, quæ nullus non detorsit ad commendandam suam, quam quisque ex-cogitavit, opinionem: nullus verò auctor est cavillis ludificare, nisi intemperans. Sic ergò progrederimur.

2. Prima loci apud antiquos mentio incident ex eo, quod motus localis Sensus ipsos incurreret, ut est, cap. 4. lib. 4. auscultationis Physica, qui liber hujus materie propria & genuina sedes est. Principium ergò non essendi, sed cognoscendi, erat motus localis. Ut nimis inepie Keckermannus hinc probare contendat: Motum esse de essentia loci.

3. Locum igitur revera in natura rerum esse, quis dubitet? non sane antiqui: qui cum viderent, ea quæ non sunt, nullibi esse: ratione reciproca, omnia quæ sunt, alicubi esse putabant; atq. in Loco. 4. Phys. t. 1. & 6. falso quidem illi, sed suo sensu rectius, quam nostri Ramei: quibus Logicum ad agrum ea ratione trans- sit Locus. inepte.

4. Sed insignis difficultatis est, explicare, Quidnam sit Locus, n̄ m̄t̄ esiv ō rō ibid. quoniam complures dubitationes emergunt.

5. Conandum tamen est, considerationem hoc modo instaurare, ut n̄ n̄ īsiv, ipsum quid est, tale assignetur, ut & ea, de quibus dubitatur, solvantur, & ea, quæ competere loco videntur, insint, & insuper ipsa difficultatis, & dubitationum, quæ circa ipsum oriuntur, caussa pateat. Sic enim unum quodque pulcerimē demonstrari potest. cap. 4.

6. Benè-disputandi principium, est rerum insidias, ambiguas vocum significaciones explorare & prospicere; ne id, quod dexterā tenes, lavā projicias.

A

Locus

7. Locus ergo alius est Communis & impropriè dictus alias proprietas. Ille finitur, in quo cuncta (vel multa simul) sunt corpora. Hujus nominis locus est cælum, aër. cap. 2.

8. Proprius est, in quo primò quipiam est, & ad aquatè. Sic nostrum quilibet non est in universo aëre, sed in certa aëris portione, quæ præcisè te tangat. ibid.

9. Estq; hic iterum duplicit modi: vel enim est naturalis, vel est Violentus. Hic est, in quo res vi detinetur s; ut si gravia, velut lapidem projicio in altum, qui suæ naturæ indole fundum petat: vel si levia, naturæ ingenio ascendentia, deprimas; quomodo uter spiritu inflatus violenter aquæ immergitur.

10. Naturalis est, ad quem res naturæ impetu properat, nisi impediatur. Natura autem levia, ut ignis &c. ascendunt; gravia quaq; deorsum vergunt; ut lapides, terra & alia ponderosa.

11. Ab his principijs, quæ ingenij modestis & veri amaritibus diu sati fecerunt, divertium fecere inquieti & Philosopha-  
riæ, quovis viri, dulces somniando errores, quibus incautiori Philosophiam horribiliter depravatam inculcare satagunt. Ut rectè omnino magnus ille Scaliger moneat: non solum id, quod rectè atq; ex officio faciendum est; oportere cognoscere, sed etiam, quod pravum est, carere.

12. Sic cavemus nobis ab imposturis Keckermannii, qui præter alias nugatorias & ridiculas Nominis subdistinctiunculas, Locum facit aliud Internum, aliud Externum. tam in contemplatione de Loco & Locato lib. i. c. 9. quam lib. 1. Physici Systematu.

13. Internum locum finit per Situm partium corporis naturalis, certa dimensionis tæzi & superficie ita determinatarum, ne extra aut supra se ipsas & distantiam suam extendantur.

14. Nova & falso, si licet præceptorem erroris argue-  
re. I, internum locum negat præceptor Aristoteles, ad cuius tri-  
bunal,

bunal, in hac lite omnes adversarios provocat: Fieri, inquit Aristoteles cap. 3. non posse, ut in seipso quidquam sit primò, ex ijs, qua diximus, patet

15. 2. Locus nihil esse debet corporis locati: sicut vas nihil est vini; sed alia ratio est ejus, in quo est, & alia ejus, quod est in illo. cap. 2. § 3.

16. Tertiò: Locus à re locata est separabilis cap. 2. id est nec materiam, nec formam, nec partem, nec habitum esse, concluditur ibidem. Sed agendum, discontinuet quis seipsum, & omnipotens dissolvat corporis: periculum, credo, vita gliscet.

17. Quartò: Si locus est in ipsâ re locata; Et vero res locata est in Loco, idem erit in seipso, id est, idem continebit, & continebitur, manifesto contradictionis implexu.

18. Quintò: Non posset fieri motus localis, cum nihil possit ad seipsum moveri. Locus autem id non est, ad quod non est motio, & quod non habet differentias, Suprà, Infrà, Antè, Retro. Sc. cap. 2.

19. Sextò: Et quid pluribus argumentis opus est? cùm denominato illa, qua in loco quicquām esse dicitur, communilōquendi usū, ipsiusq; mentis quasi compulſu, ad extrinsecum aliiquid nos ducat, neq; appareat, quid tandem ex corporis coniunctis ac contenti unione corpori Locato accedat, si Locus inde non exurgat.

20. Ergo ex hypothesi Aristotelicâ non tantum non datur Locus Internus; sed & apertè negatur: Id quod erat probandum.

21. Sed audio instantiam: Locum Internum non nominari ab Aristotele, sed presupponi. Secundò: Illas, quas diximus, loci proprietates, competere loco non Intrinseci; sed Extrinseco.

22. An sic serio Keckermannus? miserum diversiculum! Dico ego, primam instantia salutem esse tenuissimam valetudinis. Hanc internum locum appellari à te lego, & sapius identidem ex ore audi vi tuo, οὐτέ τινες, esse entia corporis μήδοι, οὐτέ τινες vero μήδοι? At vero, quiso te, cur Philosophus hoc ipsum

tuum dico locum, numquam nomine Loci dignatus est? Aut Aristotelem oportet fuisse novum Aristotelem; qui in rei perceptionem ex vocis usu perveniendum, non ignorabat; aut oportet te nimis liberè loqui, & dissolute. Quod utiq; facis: dum intrinsecum illud, non tantum pro loco venditas (id enim non nemini probabile visum) sed etiā pro Loco praeципue sic dicto.

23. Quin &, si Aristoteles negat tuum locum, ut adduximus verba, quā constantiā & fide presupponere potuisset? Non missitabit Philosophus injuriam.

24. Alterius instantiae error non minus levis. Commititur intolerabilis  $\pi\lambda\gamma\tau\eta\zeta$ . Sumit namq; tamquam sibi datum & concessum, Aristotelem lib. 4.  $\omega\epsilon\tau\eta\zeta\alpha\eta\zeta\omega\zeta$ , non agere de Loco  $\alpha\omega\lambda\omega\zeta$  sed saltem de certo, id est, Extrinseco loco. Probetur hoc prius. Sed & turpiter principiū iteratur & petitur.

25. Ecce dicit, loco Extrinseco istas competere proprietates, non verò loco absolutè considerato. Poculum propinat nobis vacuum. Argumentantur Peripatetici ex istis proprietatiis, quod, si cui convenient, loci nomen mercatar omne id. Negat ille; & conclusionem, loco responsionis ubicumq; iterat & reducit.

26. Sed properamus ad investigandum rei Genus, quod ut inveniamus legitimum; ex Aristotele hypotheses paucæ sunt praemittenda cap. 4. d. l. Prima est.

27. Locus necessariò continet locatum, & nihil est ipsius rei locata. 1. Locus enim videtur imitari ingenium Relatorum; que mutuò reciprocantur; & quorum uno posito, ponitur & alterum. Locus quippe, ut actu existat, requiruntur duo sua necessitate: In quo, corpus locans, quod mediante loci termino, locatum continere debet: mox adst, necesse est, corpus locandum, quod aptum natum est in loco esse; cuius praesentia corpus locans, quod aptum natum erat continere, actu fit continens. 2. Si locus existeret alicubi absq; locato, dari posset vacuum: est enim locus concava extremitas corporis continentis.

Secun-

28. Secunda proprietas est. Locus proprius nec maior nec minor est locato, sed aequalis. 1. Quia locut, id est, terminus corporis continentis, & terminus corporis contenti sunt æqua. cap. 4. Secundo, Quia locus est mensura locati. 3. Quia corpus continens non est Locus, sed extremitas, & ut Scholasticis loquuntur, ultimitas corporis continentis, qua ita accurate rei locata superficies convexam ambit & amplectitur; ut convexa & concava uniuersimè una videatur superficies.

29. *Addit.*: Si locus foret major locato; admitteretur vacuum, quod est quasi locus corpore desitus. Si verò minor: Corpus aliqua sui parte locabitur extra locum. Minus enim numquam est capax majoris. utrumq; absurdum; ergo locus equalis est locato.

30. Distinguendum proinde inter corpus continens, quâ corpus, id est, quatenus inter concavam & inter convexam ejus externam intercedit quadam crastis: hoc enim ratione, lacans maius est locato: & deinde inter concavam & internam superficiem, quæ immediatè tangit convexam locati. Et sic locus locato aequalis.

31. Quamvis & hoc notandum equalitatem non accipiendo de trinā dimensione; sic enim corpus foret: sed de capacitate seu superficie, quæ tanta esse debet amplitudinis, quantæ est superficies corporis contenti.

32. Tertia est: Locus à locato est separabilis. 1. quia nihil  
est ipsius locati. 2. loci esset locus, quia moveretur una cum  
corpo. ideoq; Philosophus locum vocat ἐξω τοσκηπόντες potest  
enim à locato separari.

33. *Quarta.* Unumquodque corporis naturâ ad locum proprium fertur, & in eo quiescit. 1. quia in naturali loco unumquodque conservatur: non quatenus locum est superficies, sed quatenus est corporis terminus continentis, quod mediante superficie contentum tangit, & tangendo in illud agit.

34. Hinc Scaliger, locum proprium formæ (internæ) coad.

ministrum cogitur salutare. Exerc. 5. de Materia & vacuo. Interna enim forma dat rei esse, & ipsam constituit: sed ipsa per se non potest rem diu conservare, ideoq; succurrerit locus imbecillitatis corporum per vim, quam habet, conservativem, ut in naturali constitutione conserventur. Unde & honorificum nomen forma Philosophus lib.4. de Caelo cap.3. tribuit loco.

35. Praterea unumquodq; maxime declinat sui corruptio-  
nem, quæ per contraria infertur. Cum autem quidquid in loco  
proprio est tamquam domi sua; tutissimum utiq; est à contrario-  
rum irruptione.

36. Quinto præsupponitur, dari differentias loci: Superum,  
inferum: Dextrum, sinistrum: Ante, Retro. Nec verò dicitur  
hominum, prout vult Patritius, sed Pūo ex natura institu-  
to dantur realiter.

37. Si differentiae illæ saltem mēs ipsas constituuntur  
utiq; res ipsa mutatur ad mutationem nostri motus, quod auctor  
repugnat. Immò, idem foret dextrum & sinistrum simul & sé-  
meli; fortassis enim tu concipis id esse dextrum, quod alter dixerit  
esse sinistrum; & quod hic dextrum, tu fortean concepisti sinistrum.

38. Nec verò inficiamur Patritio, dari ejusmodi differen-  
tias, etiam respectu nostri: sed propter has, illas tollendas esse, quæ  
immutabiliter & fixè in natura sunt, pernegamus.

39. Hisce hypothesibus addantur. 1. Locus est immobilis.  
Si enim mobilis, & de loco in locum transferibilis (sic loquuntur,) dandus erit loco locus. 2. Locus foret corpus quia mobile in loco  
existens, est corpus.

40. Sed immobilitatem rectè accipere decet. 1. locus im-  
mobilis est respectu cœli, quod simpliciter supremum est, & deinde  
respectu terræ, quæ simpliciter infimum est. Secundò immobilis  
est per se; per accidens autem mobilis, quatenus nimirum acci-  
dens est corporis mobilis, ut aëris, aquæ: quatenus autem loca-  
tum movetur latrone de loco in locum, dicitur immobilis. Tertiò,  
quia supremus locus numquam sit infimus. Quartò respectu  
totius

totius corporū continentis; quod Scotus vocat equivalentiam: ut si palus statuatur in medio rapidissimi fluminis; manet in loco immobili respectu totius corporis continentis, ut ut aliae atq; aliae partes fluant & refluant, accedant & recedant.

41. Secundò: Locus est contiguus in tangendo locatum, non verò continuum in locato, quod ex superioribus liquet.

42. Tertiò est continuum in ambientio. undiquaque enim locatum tangere debet, quod est continuum: Licet autem locus constituatur duabus pluribusve superficiebus tamen manet continuum, propter arctissimam & accuratissimam insinuationem, quā continentia corpora per mutuos poros sese transmittunt, ut non amplius contigua, sed continua aliqualiter videri possent. Aggregatione igitur locus unus & continuum est: & secundum totum: licet secundum partes sit multum.

43. His primitis, ad definitionem Loci accedimus, quam Arist. summo studio perquirens (t. 32.) omnibus perpensis, (t. 35. & seq.) in superficie ultima corporis continentis acquevit; optima sane ratione: Competunt enim ei omnes conditiones, quas recensuimus, loci: cum & rem locatam immediate tangat: eidemque aequalis sit, in hac scil. continendi ratione eandem intra se terminans profunditatem, locati: cuius tamen haud quicquam est, cum ab eo separari posse, & ad motum ipsius locati, (quod ad immobilitatem ejus pertinet) non moveatur.

44. Minus utiq; hæc definitio ab ejus, Quod in loco esse dicitur, concipiendi modo recedit: & cum proprietates hasce pallam includat, paucioribus urgetur difficultibus, quibus obrui planè necesse est, quibus pulchrum videtur in hac de loco quaestione, experiri, Quid diuina quid humana sapientia veneranda cœnities, à novitate curiositatib; censu ferre ac pati queat.

45. Quanto ausu Keckermannus in loco interno Aristotelis obtrudendo versatus sit, jam ante vidimus. Nunc & m'egs τοῦ θεοῦ ερεptus nobis venit, extremitati corporis non ambientis sed subjacentis, cui scilicet locatum veluti basi insistat, Loci deferens axioma. Mirabi-

45. Mirabile forte cuiquam videatur, hac illi in mentem  
venire potuisse, cuius perpetuo decreto (scilicet Calvinistis) cor-  
ruptionem sua essentia (ad eum omne corpus) locum semper sibi  
adjunctum habet. Ecquid enim corpora omnia basi cuiquam  
subjacentis corporis innituntur? Meteora, inquam, ecquid in lo-  
co sunt? Ecquid in loco nubes illa, quae Christum excepit ascen-  
denter ad caelos? Basa [vol] certe corporis extremitate susten-  
tata nemo dixerit: adeoque secundum Keckermannum, ne in loco  
quidem fuerit.

47. Verum enim uero hac quomodo se habitura sint, Kecker-  
mannus non laborat, dum modo illum qui supra omnes caelos eve-  
ctus, nihil reliqui fecerat, quo circumscriptus haberetur; novo  
enim segmento, (ratione videlicet calorum subjectorum,) etiam-  
num in loco detineret.

48. Quam vero (Deus bone) inerticulis, falsis & ridiculis  
abutitur ratiunculis? neg. obstat jam quo minus locatum sit maius  
loco, & secundum potissimum sive partes extra locum statuatnr.

49. Subiicit ipse rationem d. l. cap. 12. sub finem: Concipe,  
inquit, hominem humi stratum, tanta humi pars, quanta corpori  
substernitur. Locus est, & ea est commensurale aequalis corpori  
locato: nam quidquid extra corporis applicationem & conta-  
ctum est humi, illud locus hujus corporis non est. Et paulo ante:  
extra contactum & applicationem locantis (puta ad locatum)  
amplius locus non dicitur. Sic Keckermannus.

50. Nos cum Keckermanno & ex illo sic etiam: Corpus  
eouique est in loco, quoniam applicatur basi, seu corpori, quod sub-  
sternitur, & quoniam a base contingit. At quidam homo basi  
substrata sive corpori solidō insitens pedibus quoad commensura-  
tionem pedum, basi subjacenti seu sustinenti applicatur. Ergo se-  
cundum pedes est tantum in loco.

51. Sed nullum terminij nostrum est argumentum. Ari-  
stoteles enim numquam dixit: Locum a pede esse aequalem.  
Keckermannus, meus arguit a lubricus es. Recogno principium.  
Nec

Nec profectò habes, quod respondeas ad l. 49. Arist. ubi terram  
in aqua esse dicitur, tanquam in loco. At, num aqua terra basis  
est Keckermannus? Quanta vis veritatis est! quā coactus Kecker-  
mannus, id ipse negat p. 132. cum tamen Aristotelem judicem non  
extimescat.

52. Illud supprimo, quod nefariè privilegium eripiatur cor-  
porei toti (toti inquam) existendi in loco per se: & transferatur ad  
Partes Totius, quas tamen negat anno, ratione suorum Totorum.  
Aristoteles in loco esse voluit. Si enim homo aliquis per pedes est  
in loco, ut est evictum ex proprijs ejus verbis; utrum eum adhuc  
per se esse in loco totum existimabis?

53. Nec locum relinquimus Vacuo seu Cavo, quod Scalig-  
er Exerc. 5. diss. 2. laudat, sed non probat. 1. quia à vacuo na-  
tura penitus abhorret. 2. Si cum Scaligero Vacuum finimus spa-  
cium, in quo est corpus; Crudam contradictionem cū wegne-  
mū implicamus. Vacuum enim & plenum corpore sunt op-  
posita. 3. quia nullis salvari potest distinctionum formulis.

54. Illa enim Goclenij hypothesis stolida est, qua vacuum,  
per quod locum definit, esse aliquid incorporeum nugatur; & ta-  
men id esse magnitudinem trinā dimensione constantem. Habere  
certè trinam dimensionem, est non tantum esse corporeum, sed &  
ipsum corpus. Sicuti excellentissimus ille Philosophus Jacobus  
Martini eruditè præstigioso Goclenio larvam decutit & detrahit  
lib. 2. de Loco. cap. II.

55. Negat enim prætereundum hic est, cum Locus accidens  
sit; & vero, extra naturam & territorium locati corporis consti-  
tutus; cui nam demum rei insit ipse? Non utiq. loco ut locum  
includamus opus est, ne nihil aut nusquam esse videatur. Satis  
est si subiecto alicui insit; Quod nos esse statuimus corpus conti-  
nens, quatenus actu continet.

56. Non enim necessum est, ut corpus, in quo superficies  
hac inest subjectivè, actu locet & contineat; sed ut saltem optum  
natum sit, aliud corpus locare. Cujusmodi aptitudines propri-  
tatis

tatibus rerum recte verèq; accenseri, nemo dubitabit, qui de proprietate ridendi, loquendi, ratiocinandi, &c. saltē cogitat.

57. Ita & Esse in loco nō est corporis naturalis: Nimirum secundum aptitudinem hanc; vel (si mavis cum Thoma,) aptitudinis actum: quo homo ridere, canis latrare dicitur.

58. Quare autem Locacitas, seu Locus corpori naturali inesse debebat; ratio est, quia penetratio & permeatio corporum inimica est naturæ. Ideoq; corpori cedere corpus, natura editio jussum est. Ex remotione igitur unius corporis, accidente & subeunte alio, locus constituitur.

## Corollaria.

### I.

Tantum abest, ut Locus sit accidens corporis, qua corpus, esse entale, ut neq; corpori, qua corpus, competit, neq; in se spectatum accidens videntur, nisi analogice.

### II.

Locus ex illo rerum genere est, qua propter exitatatem suam cogniti difficultes sunt.

### III.

Vtrum Aristoteles recte gloriari queat, ante se nihil de loco quasitum recte? A.







Nec proficere habes, quod respondas ad t. 49. @ in aqua esse dicitur, tanquam in loco. At, nū est Keckermannus? Quanta vis veritatis est! quāmannus, id ipse negat p. 132. cum tamen Aristoteles extimescat.

52. Illud supprimo, quod nefariè privilegiū pōri toti (toti inquam) existendi in loco per se: C. Partes Totius, quas tamen nōtā, ratione Aristoteles in loco esse voluit. Si enim homo alio in loco, ut est evictum ex propriis ejus verbis; & per se esse in loco totum existimabis?

53. Nec locum relinquimus Vacuo seu C. ger Exerc. 5. dist. 2. laudat, sed non probat. 1. tura penitus abherret. 2. Si cum Scaligero Vacuum, in quo est corpus i. Crudam contradicit pōrō implicamus. Vacuum enim & plenus posita. 3. quia nullis salvari potest distinctionis.

54. Illa enim Goclenij hypothesis stolida per quod locum definit, esse aliquid incorporeum men id esse magnitudinem trinā dimensione certè trinam dimensionem, est non tanquam esse ipsum corpus. Sic uix excellentissimus ille P. Martini eruditè præstigioso Goclenio larvam lib. 2. de Loco. cap. II.

55. Neḡ enim prætereundum hic est, cuius sit; & vero, extra naturam & territorium locutus; cui nam demum rei insit ipse? Non includamus opus est, ne nihil aut nusquam esse est si subjecto alicui insit; Quod nos esse statuimus, quatenus actu continet.

56. Non enim necessum est, ut corpus, hoc inest subjective, actu locet & continet; se natum sit, aliud corpus locare. Cujusmodi



the scale towards document

ram  
asis  
ker-  
nonis

cor-  
r ad  
um.  
s est  
huc

cali-  
na-  
spa-  
trear-  
t op-

um,  
r ta-  
bere  
d &  
obus  
abit

dens  
insti-  
cum  
Satis  
onti-

ficies  
stum  
prie-  
ribus